

remota misericordia, discutias eam. Quia vero non exquiris delicta vehementer, fiducialiter speramus, aliquem apud te locum invenire indulgentiae. Quisquis autem tibi enumerat vera merita sua, quid tibi enumerat nisi munera tua? O si cognoscant se omnes homines; et qui gloriantur, in Domino gloriantur! Ego itaque, laus mea, et vita mea, Deus cordis mei, sepositis paulisper bonis ejus actibus, pro quibus tibi gaudens gratias ago, nunc pro peccatis matris meae deprecor te, exaudi me per medicinam vulnerum nostrorum, quae pependit in ligno, et sedens ad dexteram tuam, te interpellet pro nobis. Scio misericorditer operatam, et ex corde dimisisse debita debitoribus suis; dimitte illi et tu debita sua, si qua etiam contraxit per tot annos post aquam salutis. Dimitte, Domine, dimitte, obsecro, ne intres cum ea in iudicium. Superexaltet misericordia iudicium, quoniam eloquia tua vera sunt, et promisisti misericordiam misericordibus. Quod ut essent, tu dedisti eis, qui misereberis, cui misertus eris, et misericordiam tuam praestabis, cui misericors fueris. Et credo jam feceris, quod te rogo, sed voluntaria oris mei approba, Domine. Namque illa imminente die resolutionis suae, non cogitavit suum corpus sumptuose contegi, aut condiri aromatibus, aut monumentum electum concupivit, aut curavit sepulchrum patrum. Non ista mandavit nobis, sed tantummodo memoriam sui ad altare tuum fieri desideravit, cui nullius diei praetermissione servierat, unde sciret dispensari victimam tam, sine qua deletum est chirographum, quod erat contrarium nobis, qua triumphatus est hostis, computans delicta nostra, et quaerens, quid objiciat, et nihil inveniens in illo, in quo vincimus. Quis ei refundet innocentem sanguinem? Quis ei restituet pretium, quo nos emit, ut nos offerat ei? Ad cuius pretii nostri sacramentum ligavit ancilla tua animam suam vinculo fidei. Nemo a protectione tua dirumpat eam. Non se interponat nec vi, nec insidiis leo, et draco; neque enim respondebit illa, nihil se